

XXI. Caspar. SAGITTARII Historia Marchionum ac Electorum Brandenburgensium, ab origine ad an. 1680. Ienae 1684. in 4to. Eiusdem *Historia Marchiae Soltwedelensis*, Ienae 1685. in 4to.

Praeter domesticos scriptores, etiam communes rerum Germanicarum annales in quouis principe diligenter hic videas collatos.

XXII. Gregorius LETI Historia della Casa Electorale di Brandeburgo, Amstelodami 1682. 4to. Eiusdem *Abregé de l'histoire de Brandebourg*, Amstelod. 1687. 12.

Recentiora quaedam habet, quae alius non scripserit. Multi virum credulitatis arguunt: sed aliquid condonandum peregrinis.

XXIII. M. Petri HAFSTITII Microchronicon Marchicum ab an. 388. ad 1590. codicem possideo MSC. in 4t. 1597.

Duarum scholarum Berolini & Coloniae is Rector fuit: sed exquisitam historiarum notitiam in libro hoc desidero. In antiquis rebus figmentis indulget; ut alii plerique. ()*

XXIV. Iohann. FRIDERICI, Pastoris in Vkermarchia, Chronicon Neomarchiae MSC.

Liber Hafftitio laudatus, plerisque ignotus est.

XXV. Samuel. Lib. Bar. de PVFENDORF, Res gestae Friderici Wilhelmi M. Elector. Brandenburg. Berolini, 1695. in fol.

*Prudentiae ciuilibis studioso inaeestimabilis hic thesaurus est; modo quis literarum praesidio instructus ad lectionem scripti, vere pragmatici, accesserit. Quaedam tamen multi in illo deleta mallent. (**) (***)*

DE

(*) Henrici SEBALDI, inspectoris Beelizensis, Breuiarium historicum, edit. Wittenbergae 1655. in 4t. (a)

(a) Id inprimis agit auctor, ut res marchicas omnis aevi exponat, sacras & ciuiles, praesertim vero Marchicis proprias. Ut adeo plurima habeat, quae nequeunt alibi inueniri.

(**) Huc pertinet Magdeburgicum TABVLARIVM. Illud custoditum olim in castro Giebichensteinensi, deinde translatum in castrum S. Mauritii; porro exinde in curiam prouincialem, contiguam templo der Dom, Kirchen; demum Magdeburgum.

(***) In feudorum tabulario inprimis magni facienda volumina sequentia: Erzbischoffs Petri Lehen Registratur 1376, Alberti 1383, Guntheri 1420, Friderici 1446.